

Primum itaque est; *Si Scriptura non aliter talis esse cognoscitur, nisi per se, & per internum Spiritus S. testimonium in singulis fidelibus; tum Authoritas summa interpretandi Scripturam est penes Scripturam solam, & Spiritum sanctum. At prius Controvers. de Scripturæ Authoritat. probatum est. Ergo.*

At Respondemus, & quidem ad antecedens per partes: primò negandò *Scripturam esse talem cognosci per se*: Nihil enim per se cognoscitur, quàm primæ atque communes Notiones: Scriptura verò cùm ex notis divinitatis, quæ illi insunt, Dei verbum esse cognoscitur, non per se; sed per illas notas talis esse cognoscitur: Deinde distinguendò *internum Spiritus S. testimonium*; Si enim claram distinctamque lumine naturæ à Spiritu S. productam perceptionem, cum ejus conscientia, ac in eâ acquiescentia intelligant: concedimus, quod hanc partem spectat, *antecedens*: non enim erit contrà nos, ut ex superiori capite dictis patet. Sin verò supernaturalem quandam illuminationem intendant, negamus talem dari, utpote Enthusiasmum, ac Quakerismum redolentem, nec ab ullò Theologò explicatam, multò minus probatam: omnia enim, quæ eum in finem, aut hòc aut locò de Scripturæ autoritate adferri solent, facillimò negotiò ex jam dictis solvi poterunt. Quòd verò *Consequentiam* attinet, de eâ forsan etiam dubitari posset: quamvis enim *Scriptura talis esse cognoscatur per se, & per internum Spiritus S. testimonium*, non inde sequi videtur, etiam per se, & Spiritus S. testimonium tantùm esse interpretandam: posset enim aliò, qualem nos jam proposuimus, modò, qui infallibilis sit, exponi.

Alterum Argumentum est: *Quod solum habet vim ad fidem generandam, illud solum habet summam authoritatem interpretandi Scripturas. At Scriptura sola unà cum Spiritu S. hanc vim habet. Ergo illis solis hæc summa authoritas est tribuenda. Probat. proposit. ex Roman. 10. vers. 17. Fides nascitur ex sensu Scripturæ rectè perceptò: at sensus Scripturæ ex solâ Scripturâ petendus est, imò est ipsa Scriptura: & perceptio veri sensus fit per illuminationem Spiritus sancti. Prob. Assumpt. quia solus Spiritus sanctus fidem infundere potest.*

Respondemus primò negandò *Majoris consequentiam*: ejus verò probationem satis mirari non possumus: partim enim est non Majoris, sed Minoris, nempe, quando *fides ex sensu Scripturæ rectè perceptò nasci* dicitur: partim continet id, quod in quæstione est, putà *Sensum Scripturæ ex solâ Scripturâ esse petendum, & perceptionem veri sensus fieri per illuminationem Spiritus sancti*. Secundò *Minorem*, quod ad ea, quæ de Spiritu sanctò continet, vel concedendò, vel negandò pro distinctione in primi Argumenti responsione allatâ.

Ultimum denique est; *Si Scripturæ sunt interpretandæ, & intelligendæ eòdem Spiritu, quò scriptæ fuere; tum necesse est, ut omnes, qui illos interpretari*